✠

HISPANIARVM REGIS PHILIPPI QVINTI BORBONIÆ LILIJ, REGINÆ ELISABETH FARNESIÆ LVCIS, PRINCIPVM, IN REGNVM HISPALIS ADVENTVS.

ANNO DOMINI M.D.CC.XXIX.

Apud Ioann. Francisc. Blas de Quesada, Typ. Mai.

DICO OPERA MEA PIETATIS MAGNITVDINI.

DVQVE DE OSVNA

Dum te maiorem Fama, tua geſta probabunt;
Vt defenſorem te vocat iſtud opus.
Quem conducit honor, quem totus prædicat Orbis,
Vix laudare velim, laus mea laude caret.
Excellens factis, Magnus virtute, Miniſter
Doctrina, Sanctus Spiritus ore micat.
Exemplum, lumen, Princeps, Inſignis, amatus,
Omnibus, ingenio, ſanguine, ſorte, Deo.
Solamen, pietas, virtus, prudentia, ſplendor,
Vatibus, infenſis, enſe, valore, probis.
Non innota cano, meritum ſuper æthera conſtat,
A te tota datur, lux, medicina, ſalus.

MAXIME DVX , precor vt capias hæc dona libelli:
Semper ero pedibus *Fornier* ipſe tuis.

REGVM MAXIMO, HISPANIARVM REGINÆ, PRINCIPIBVS.

Triumphum posuit valor
Pompam condidit magnitudo
Gloriam erexit Sapientia.

HOc Iovis adventu celeberrimus iste Senatus
Gaudet, & hunc Martem credidit esse suum,
Desine Roma tuos Populis laudare triumphos
Herculis his non plus poneret Aula suum.
Lætentur gentes, Magno veniente PHILIPPO,
Quem vivat, vivat clamat vterque Polus.
Lucis in Vrbe patent septem miracula mundi,
Rex, Regina, simul Regia tota Domus.
Sunt innota soli, quæ soli cognita soli;
Condita dum Cœlum clara dedisse vides.
In Cœlis iunctum generalia gaudia monstrant
Coniugium, & terris desuper esse datum.
Francia te genitum novit, te Hispania Patrem,
Orbis te Regem, Magne PHILIPPE suum.
Magna Domus Regis, Rex Maior Regibus Orbis,
Cui non æqualem sæcla futura dabunt.
O Lux Borboniæ, Domus, ò sacra dextra Parentum,
An Regem possum te cecinisse Deum.
Quærit an inveniat maiorem Fama per æther;
Nec par, nec similis visus vt iste fuit.
Si similem quæras non huic quem gesta coronant
Nam factis scivit Maior inesse suis.

O

O quantos, Regina, iubes renovare Triumphos!
Scilicet incipiam ſed ſine fine tuos.
Princeps, virtutum te copia tanta Coronat
Vt certè non plus creſcere poſsit honor.
O Portugaliæ digniſsima Filia Regni!
Vxor digna quidem coniugis eſſe tui!
Infantes, vellem veſtrum celebrare decorem,
Non Reges dicam, ſed genuiſſe Deos.

HEBDOMADA SANCTA.

VIta mori voluit, mortiſque ſubire rigores
In Cruce pro nobis vulnera quinque pati.
Poſt tot amara ſuum Corpus dedit eſſe ſepultum,
Et iubet infernum frangere vincla Patrum.
Mors eſt clara, rigor clarus, clarumque Sepulchrum,
Cœtera clara patent, hic vbi clara Fides.
Hunc Chriſti renovet Rex hic ſplendore triumphum
Dum pedibus vitæ Mors ſuperata iacet.

ORDO SANCTI SPIRITVS.

OMne quod hìc Sanctum, præclarum, forte videtur;
Regnum, Maieſtas, Pompa, Corona, Genus.
Hæc coniunxit Amor, Pietas, Sapientia, Virtus,
Principis Heroum Relligione ſua.
Dum Pater Infantes ornat ſplendore Columbæ,
Huic Regno Sanctus Spiritus Inde favet.
Scribere quis poſſet mores, & munera Regis?
Talia dum capio, mens mea perdit opus.
Clarior Emporio Terrarum Eccleſia Maior!
Dignior Imperio luminis ipſa tuo.
Hoc numquam viſum per te meruiſſe tenemus
Principibus noſtris Pectora Sacra foves.

VRBIS

VRBIS GAVDIA.

HIspalis Imperium Mundi tua facta merentur,
Et merito palmis omnia sceptra tuis.
Miror equos, equites, horum variosque colores,
Dum sua tela ferunt, hosce volare putes.
Vt tua quis Romæ vidit spectacula? Nullus.
Regibus, & Populis grata fuisse vides.

DIVI PHILIPPI FESTVM.

ICtibus ante diem Regis tremuêre triremes,
Ex superant stellas, lucibus, igne suis.
Nox erat, atque dies, nec clarior extitit vmquam;
Nam radios iterum fluminis vnda dabat.
Taliter arderet flammis altissima Turris
Vt varijs facibus, fax tamen vna foret.
Musica Campanis strepitum permixta ferebat
Civibus hoc vivat, vivat ad astra suum.
Ignis facta suis VRBS altera Troia videtur,
(Mortua non) vtinam florida Troia foret.
Perque diem festi pulcherrima dextera Regum
Concesit magnis oscula digna suis.
Regni lætitiam renovant spectacula, Noctem
Præteritam renovant omnia clara suam.

CORPORIS SANCTI FERDINANDI TERTIJ HISPANIARVM REGIS TRANSLATIO.

ANte diem festi fulgent pulcherrima visu,
Quæ nec sunt musæ concipienda meæ.

IN

IN DIE FESTI.

DVm FERDINANDI Translatio Corporis affert
Huic aulæ Cultum, Lilia tota micant.
Magnificum posuisse Thronum, pro tegmine solem,
Sidera pro facibus, Regia dona probant.
Vnitis Populis, Magnis cum Regibus aula,
Dicitur hunc Christi Corporis esse diem.
Vndique pompa vocat, vocat & præsentia Regum,
Et nihil in toto sanctius Orbe fuit.
Perpendens cantus, dotes, & pectora Cleri
Vnusquisque regit viva Columna Fidem.
O tu Lux mundi! Terræ SALCEDO Triumphis!
Parva foret meritis tota Tiara tuis.
Non satis hoc studium possem laudare Senatus,
Tantos Roma viros vellet habere suos.
Pacis vexillum portat Villena, suorum
Palma, Triumphantis dans pia signa Ducis.
Ensis, si Gladius, si Telum, fertur ab Arco,
A quo Maurorum fracta caterva perit.
Rex Pius, huic Regi Sancto post funera servit,
Concomitans Corpus Principibusque suis.
Vt Verbo dicam Magni Pietate PHILIPPI
Descendit terris Gloria tota Dei.

Quæ cecinit Gallus defendere morte paratus
Est plantis *Daniel Fornier* iste tuis.